

TEMPERATVM SAPIENTIA AMOREM SVI
XII. PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CANDIDATIS

QVI MAGISTRI RENVNCIANTVR

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

THERAP. PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MEDIC. DECANO
ACAD. DECEMVIRO COLL. MAI. PRINC. COLLEGA ET B. MARIAE
VIRG. H. T. PRAEPOSITO ACAD. REG. BORVSS. SCIENT.
ET SOCIET. BOTAN. FLORENT. SODALI

COMMENDAT

PRO CANCELLARIVS

E T

PHILOSOPHORVM ORDINIS

H. T.

DECANVS

D. CAROLVS ANDREAS BEL

S. R. MAI. POL. ELECT. SAX. CONSIL. AVL. POESEOS PROF.
PVBL. ORDIN. NATIONIS BAVAR. ET COLLEG. DVCAL.
SENIOR ACAD. BIBLIOTHECARIVS.

D. III. MART. A. C. N. CIOICOLXIII.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



7.)

Philos. C.

201, 16

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Qui fit, vt, in cuius nemo non iuit amorem,
Despectas hominum fallat sapientia curas?

In puero, simul vt voces iam reddere nouit,
Plurima vterque parens, et multo plura magister,
Non sine verberibus, castigant: vt rudis aetas
Paullatim formetur, et instituatur ad huius
Incertae varias artes et munera vitae.
Dein, quando inculcata satis praecepta videntur,
In medios rerum fluctus, hominumque furores,
Delati, neque mens constat, nec, qui leuis ardet,
Prospicit insidias animus, vitatque pericla.
Ergo multiplici fraus illum verberat ictu.
Res, virtus, et fama, valetudoque laborant.

A 2

Hinc,

IV

Hinc, nisi tot vitiis obbruit implicitum cor,
 Anxiferi tandem vena saliente pudoris,
 Longe alius miserum inuadens agit et rotat error.
 Quaerit diuitias, et seruit honoribus: vnde
 Quos illi fructus vnquam carpsisse licebit,
 Sunt odia, et lites, et morsus, et cruciatus,
 Et vana totum labor improbitate fatigans.
 Interea gelido si corpore tarda senectus
 Obrepsit, iamque assidua circumuolat ala
 Ignauum timor: heu densis frons nubila rugis
 Tristitiam spirat, laetosque inimica tumultus
 Damnat, et in minimis irascitur inuida rebus.
 En, vt homo longum traducit leniter aeuum!

Nec vero quisquam est, quin se sapientibus ipse
 Annumeret: stultos nemo vult inter haberi.
 Quidquid agunt, quidquid cupiunt iuuenesque senesque,
 Docti atque indocti, regalis et infimus ordo,
 Secum ipsi laudant, et qui reprehenderit, illum
 Dicent insipere, ac sana ratione carere.
 Atqui tam praeceps animi fiducia nostri,
 Mille malis nos inuoluit, grauiusque flagellat:
 Et, si qua vlla vsquam est sapientia vera, necesse est,
 Vt, quorum aethera lustrauit pectora flamma,
 Hos etiam vere faciat seruetque beatos.

Nimirum, quaecunque sui sibi conscia viuit
 Natura, et quocunque modo se intelligit ipsa,
 Spirituum genus omne, simul genus omne animantùm,
 Seu mentem illa habeant, seu sint expertia mentis,

Affectu

Affectu sese ipsa haud paruo amat. Hoc Pater illis
 Principium optandi statuit, vitaeque fruendae.
 Hinc, vt Ebraeorum cecinit vis enthea vatam,
 Caelestes animae, quas nullo corpore vinctas
 Vnius et veri et pulcri iuuat igneus haustus,
 Cum aeternum adsistant, vbi fontem est cernere lucis,
 Tergemini folio, qui fecit cuncta, Iehouae,
 Proh, quanta vsque hilares dulcedine perfunduntur!
 Quid referam, vt, queis est vel terra, vel vnda, vel aer,
 Descriptum hospitium, solo quae praedita sensu
 Indulgent ventri tantum, nihil amplius ausa,
 Laeta suo cursu tot inertia secla ferantur?

Sed nequidquam homines eadem tenet ista cupido,
 Si nostra nobis est aduersaria culpa,
 Vtilium specie toties tam noxia suadens.

Vt ferrum, quo se miles tutatur ab hoste,
 Si puer accipiat, puero non proderit hilum;
 Sed contra magis ipsi oberit, valideque nocebit,
 Quod non est saeuum fulmen tractare peritus:
 Sic, qui cum vita se nobis obtulit ardor,
 Cuius erat nos vt felices redderet, idem,
 Idem iam nobis heu vincula nectit, eo quod
 Turpiter ignari, quid praeter olentia fimus
 Corpora, neglecta diuinae particula aerae,
 Nunquam nos penitus totos amplectimur ipsi.

Adspice, qua solis fax alma oriturue caditue,
 Vnde ruit Boreas, atque huic contrarius Auster:

VI

Plerique immersi terrae, ceu talpa, nihil quam
 Sordida terrenae sectantur gaudia faecis:
 Non illos animi vlla intrat vitaeque futurae
 Inlustris vel suspicio vel cura sepultos:
 Humanam pecudes dicas fumsisse figuram,

Nos, quibus a Christo lux est accensa salutis,
 Stertimus, an vigilamus, et aurea iussa veremur?
 Barbaricum sane posuit Europa stuporem,
 Ingeniosius in coeno se voluere docta.
 Iudicat egregie, quae sint iucunda palato.
 Undique conuectantur, et annitente culina
 Miscentur telluris opes, queis putre cadauer
 Titillent famuli cuppedinis atque saginent.
 Impedior vetulo, ne tangam plura, pudore,

Iam si quem nostrum res haut ita magna coegit
 Pinguibus a mensis inuitum auellere pectus:
 Hic aut contendet multum sudans et anhelans,
 Vt plenam referat, quam deperit, aere crumenam;
 Aut somno et ludo vel reges aequiparabit.

Da mihi, qui mentem, qua praestat homuncio sola
 Turpe genus pecudum, atque alto cognatus Olympo est,
 Rite colat, scrutando in se conuersus, et omnem,
 Quam potis impendens operam sollerter, vt istos
 Lucifugas crasso exortos a corpore motus,
 Queis caecata filet ratio, et longe auia fertur,
 Tanquam auriga bonus, validis compescat habenis.

Immo

Immo sunt, quibus, ut iactant, in mente colenda
 Praecipuus labor est. illosne ais, in studiis qui
 Disciplinarum versantur et historiarum?
 Si non mens humana, domo conclusa rebelli,
 Seruitio premeretur, et indupedita iaceret:
 Nil melius facerent. Nunc ante alia omnia primum
 Quod faciendum erat, haud curant, ut, compede rupta,
 In priscum regni mens restituatur honorem.
 Vnde videmus eos nihilo tranquillius atque
 Indoctum faeuo iactatum flamine vulgus,
 Et magis aduersis aetatem ducere ventis:
 Plenos inuidiae, atque irarum, atque intolerandae
 Ambitionis, et infesta super omnia lingua.
 Vsque adeo foedam formosa scientia prolem,
 Ni mentem nacta est, domita quae libera carne
 Imperium gerat, infausto solet edere partu:
 Sepiolas, vrsos, bufones, atque molossos,
 Riforesque hominum, contemtoresque Tonantis.

O qui vel sancti veneranda volumina tractas
 Iuris, vel medicam fama perhiberis ob artem,
 Vel rerum genera et species causasque modosque
 Indagas, vel es orator, vel mensor arenae,
 Vel Criticus: quantilla tua haec est gloria, si tu
 Non etiam stolido distas virtute popello?
 Quid spectans aliena sedes, oblitus eorum
 Quae tua sunt? descende in te ipsum, atque intus apud te
 Rem gere, neu tecum sic viue, ut barbarus hospes,
 Extremo veniens qui nuper ab orbe, Britannos
 Paullisper miratus, eadem naue reuertit.

Atque

VIII

Atque vtinam haec et vos, laudis studiosa iuuentus,
Quorum coccinea crescens doctrina tiara
Ex merito per me iam iam decorata nitescit,
Vos vtinam haec meminisse, haec et praestare velitis.
Non multum hortabor. Satis haec funebria bella,
Quae iam detonuere, monent, quid referat, esse
Virtuti addictos homines, et ponere summum
In pietate bonum: quae nil obnoxia telis
Fortunae, relinquens terras, et proxima caelo,
Perpetua nobis animi dat pace fruisi.



CAROLVS

CAROLVS CHRISTOPHORVS NESTLER
WEINBOELA MISNICVS.

Weinboela vicus est prope Misenam, in quo cum pater huius, Christianus Sigismundus, sacra curaret, suscepit eum e coniuge, Maria Eleonora Tittelia, anno Seculi XL. Litterarum elementa Dresdae didicit, vbi etiam in Schola ad aedem Crucis quadriennio meruit sub Koehlero, cuius, et aliorum beneuolentia, mortuo praefertim patre, maxime recreatus est. Accessit anno LIV. beneficium inclutae gentis Militariae, quo inter Alumnos Afranei Misnenensis relatus est. Habuit illic praeceptores Kaestnerum, Vlischium, Hoerium, Weissium, Kleemannum, Kauderbachium, Bielitium, Schregerum, Climium, quorum vt omnium in se erudiendo fidem, ita Kaestneri imprimis, Weissii, et Kleemanni, singularem amorem laudat. Ad nos venit anno LIX. rectore Winklero. Hunc primum audiuit Philosophiam omnem tradentem, mox etiam Crusium; tum Besaco, nunc apud Petropolitanos Professori, praecepta et vsum dialecticae explicanti, operam dedit. Studiorum humanitatis caussa Ernestium secutus est; Gellerto ethicam et Battaenum explananti, Koernerio historiam christianam enarranti, adsedit. Theologiam omnem Crusio debet, et praeter hunc dogmatum scientiam Bahrdtio atque Ernestio, quem etiam Epistolae ad Hebraeos interpretem audiuit; Stemlero prudentiam pro concione Christianorum dicendi; literarum denique Hebraicarum, et Chaldaeo-Syriacarum notitiam Rehkopffio et Krügero. Crusii autem et Koernerii ope atque consiliis plurimum se subleuatum esse praedicat. Neque filendo praetermittit fauorem erga se insignem Eberhardi, qui est Ordini nostro ab Actis, quo et hospite vsus sit, et perbenigno rei domesticae adiutore. Inter haec petatum ab Ordine Philosophorum honorem, et quasi testimonium studiorum, edito diplomate, exeunte anno praeterito accepit.

GOTTLOB BENEDICTVS HOFMANN
WITEBERGA SAXO.

Natus est Witebergae anno Seculi XLIII. patre Carolo Gottlob, Theologo Academiae primario, doctrina et meritis illustri, matre Rahel Elifabetha Bartschia. Horum cura primum domesticis praeceptoribus traditus est, deinde in ludum litterarium missus, ibique vsus ducibus Hillero, tum quidem rectore, nunc Professore Poeseos,

B

et

et Schmidio Conrectore. Sed adiit etiam Grimmam, ibique receptus in hospitium adfinis sui, Schwartzii, eo tempore Scholae Prouincialis rectoris, iam designati Sacrorum Antistitis Pegauiae, litteris institutus est a Krebsio, Opitio, Richtero. Redux Witebergam, Academiae adscriptus est sub auspiciis Riui. Tum vero patris lectionibus Theologiae dogmaticae, Hilleri logicis, Titii geometricis, trigonometricis, et mechanicis, Ritteri historicis, interfuit; adscitus etiam est defensor dissertationis de Ara Victoriae, quam frater Carolus Fridericus, Ordin. Philos. Witeberg. Adfessor, scripserat. Posthaec totum se Iurisprudentiae ediscendae dedit, sectatus doctores eius Krausium et Chladenium in iure Iustiniano, in historia Iuris Riuinum, Frankium in iure feudali. Notitiam regnorum et rerumpublicarum, subtilem Legatorum scientiam, quae in tuenda Principum auctoritate et commodis versatur, (quam adeo, cum nomine *l' Art de negocier*, Gallorum ingeniis debemus,) porro ius publicum vniuersale, politicam et oeconomiam, ea singula hausit ex Walthero. Ius Naturae Hilleri arctioribus in scholis percepit, eademque in parte philosophiae disputando exercitatus est. Etiam iuris ciuilibus doctrinam confirmaturus, examinatorias et disputatorias super eo horas Krausii frequentauit. Ita instructus transit in hanc Academiam aestate anni superioris, receptus me rectore. Sed paullo post honorem Magistri Artium liberalium, cuius causa Ordinem nostrum adiit, rite exploratus, impetrauit; estque eius rei documentum publicis tabulis inscriptum.

ERASMVS ANTONIVS SCHINDLER
SCHNEEBERGA MISNICVS.

Editus in lucem est Schneebergae anno aetatis nostrae XXXIX. parentibus Christiano Friderico A. M. Theol. Baccal. eaque in vrbe Archidiacono, et Iohanna Magdalena Barbara, e gente Erbiorum. Doctoribus religionis et litterarum, publicis et priuatis, mature vsus est, laudatque merita in se Vogelii, Schreiberi, Drobischii, Stumpffii, Saxii, et praecipue Mülleri rectoris. Praeter hos in linguarum notitia paranda adiutus est ab adfines, Koerner, Boccauiensis coetus propter urbem patriam pastore. Parente orbatus A. LIII. egregiam matris curam, et optimorum virorum liberalitatem expertus est. Hac rerum bene gerendarum fiducia auctus, nomen dedit huic Academiae A. LIX. rectore Winklero. In qua vt frui opportunitatibus discendi posset,

posset, effecit potissimum praeclara illustrissimi Comitis Brühlü, et generosissimi Einsidelii munificentia, quam mirum in modum celebrat. Sed Gotschedii quoque nostri fauorem et beneficia gratus recolit, quem praeterea omnis Philosophiae et artis bene dicendi magistrum habuerit. Hebraicarum litterarum cognitionem petiit a Tellerö, nunc Academiae Iuliae celebri Theologo, Fischero item, et Rehkopffo; graecarum, latinarum, rhetorices, et historiae catholicae ab Ernestio; physices a Winklero, rei moralis a Gellerö, logices et matheseos a Rudolpho. Ad theologiam conuersus, hermeneuticam partem, dogmaticam, polemicam, et symbolicam, Bahrdtio et Ernestio, homileticam Wollio, eandem et moralem, huiusque caput singulare de officiis ministrorum ecclesiae, Stemlero, doctoribus percepit. Historiam sacrorum ex ore Ernestii atque Koernerii hausit. His omnibus adiunxit examinum disputationumque exercitationes, apud Stemlerum et Bahrdtium. Nuper honores, quos probatis philosophiae et artium studiosis tribuit Ordo noster, tabula publice proposita obtinuit.

CHRISTIANVS IACOBVS SCHWARTZ

TILSA PRVSSVS.

Prussiae oppidum non ignobile, Tilsa, natales huic dedit anno huius aetatis XXXVIII. patre Iohanne Christophoro, coetus illic Lithuanici eo tempore, nunc Ionalkischkensis praecone sacrorum, matre Sophia Carolina Puschia. Cum diligenter imbutus esset domi et in schola prouinciali litteris iis, quarum capax est aetas puerilis, tandem adolescens in Academiam Regiomontanam se contulit, professus studia sua Lilienthalio, Theologo doctissimo, et fautori suo primario; in ciuium autem numerum relatus est a rectore eodemque Cancellario Kowalewskio. Mox Philosophiam vniuersam a Christiano, Mathesin a Langhansio, Bukio, et Seligmanno, (olim Pragae inter Iudaeos Professore, nunc sacris nostris addicto, viro pio atque erudito;) historiam catholicam a Watsono, iam rectore Mietauensi, cuius etiam disputatoriis scholis interfuit; orientis denique litteras ab Hahnio, Kypkio, Haltero, et Seligmanno didicit. Doctrina sacrorum instituendum se tradidit Kypkio, Schultzio, Arnoldo, et Moldenhauero. Ut autem ipse quoque necessaria hac facultate, religionis praecepta aliorum mentibus instillandi, potiretur, experimenta illius quotidiana in scholis pauperum, per quaestiones et responsa, fecit. Sic trans-

actis annis quinque, editoque lingua patria schediafmate, de votorum, quae sub noui anni exordia nuncupantur, vanitate, examen Ordinis theologici subiit, accepitque ab eo veniam e suggestu ad populum dicendi. Sed cum augendae doctrinae causa ad suscipiendum iter literarium animum adiiceret, detulit huius consilii rationes imprimis ad patrum, Godofredum Schwartzium, reipublicae Gedanensis hoc tempore fasces tenentem: qui cum a prima aetate prolixam in se voluntatem demonstrasset, huic quoque proposito annuit, et vt exsequi posset liberalitate sua effecit. Noster, ante quam patriam relinqueret, commentationem de necessitate satisfactionis in genere, et praecipue per Christum partae, scripsit, defenditque moderante Lilienthalio. Tum vero, Martis terroribus ab itinere per continentem terram retractus, mari se credidit; sed non plus in eo securitatis fuit: nam quinque hebdomadas tempestate et fluctibus iactatus, prope abfuit a naufragio. Tandem ad Batauum littus appulit, inspectoque Amstelredamo, in Lugdunensem Academiam concessit, vbi Schultensio, qui etiam rector eum inter ciues retulit, litterarum orientalium causa operam dedit; Alberto lectiones dogmaticas, Muschenbrokio physicas habenti, adfuit, et bibliotheca publica vsus est. Inuisit et reliquas Batauorum vrbes, atque Academias clari nominis. Inde ad Anglos traiecit, quorum statim coepit linguam discere, ad Museum autem Britannicum petitione per litteras aditum sibi patefecit. Hiberna constituit Oxoniae, ibique Bibliothecam Sheldonianam diligenter adiit, et amicitia iunctus est viris egregiis, Hundio Arab. Lingu. Prof. Bradleio mathematicum doctore, et Iano Coll. Christi Socio. Cantabrigiae Ruterfortum Theol. D. et Smithum, Matheseos Prof. nactus est fautores. Excurret etiam ad Scotos, et Edimburgi quidem Maquenii Theol. D. et Robertsoni Arab. Ling. Prof. Glasgouiae Simsonis Prof. Mathem. et Gillesii V. D. M. humanitatem exoptatam sibi contigisse memorat. In vniuersum, Magnae Britanniae ingenti admiratione plenum se reuersum esse fatetur. Post haec Francogalorum, ac denique Heluetarum vrbes moresque, et nobiles eruditione viros lustrauit. A quibus dum, magnam Germaniae partem emensus, redire in patriam parat, minime omnium hanc Academiam duxit negligendam, fastisque illius inscriptus a Ludwigo rectore, corollarium quasi itineris, dignitatem Magistri Philosophiae, ab Ordine nostro petiit. Atque hanc, probantibus omnibus indolis et doctrinae elegantiam, oblato diplomate, ex merito retulit.

IOHAN-

IOHANNES GOTTHELF HERRMANN

MEDICINAE BACCALAVR.

Natus Chemnicii anno Seculi huius XXXVIII. patre Iohanne Christiano, nobili mercatore, matre Iohanna Salome Blockia, probam ab iis educationem accepit, estque ad annum aetatis XIII. curae et institutioni Christi, Weinerti, et Voigtii permissus. Sed mox inclementius fatum vtrumque ei parentem abstulit. Migravit deinde anno LIII. Altemburgum, mandatus fidei et consiliis Ranischi, habuitque praeterea in Gymnasio Fridericiano Moerlinum atque Reichelium praecipuos. Vbi cum studiorum rationes eas iniuisset, quae ad amplectendum vitae genus paternum spectarent, discessit inde a. LV. sed grauibus de causis mutato animo, totoque litteris dicato, rediit Altemburgum eodem anno exeunte, et iam diligentiae ampliore accuratiorumque formam secutus est, vsus maxime Koenigsdoerferi, M. D. praeceptis et monitis, qui etiam medicae artis amorem ei instillauit. In Academiae huius societatem adscitus est anno LVIII. me rectore. Et primum quidem Philosophiam vniuersam ex Winklero, litteras latinas et catholicam historiam ex Ernestio, penitiorum vero graecae et latinae linguae cognitionem ex Hentschio, Ernestio secundo, et Moro, percepit. Ab his ad Medicos transgressus, disseccandorum cadauerum modum ab Hundertmarkio; eandem Anatomiam et botanicam a Bosisio; Chemiam, materiae quam dicunt medicae notitiam, et mineralogiam a Gehlero, et in his duo priora capita etiam a Boernerio luculenter tradita, hausit. Physiologiam, Pathologiam, Therapiam generalem, et Medicinam forensis, historiam item rei medicae litterariam, docentem audiuit Ludwigium: cui etiam his maiora debet. Nam in hospitium et fauorem eius introductus, consiliisque illius perpetuo sustentatus, etiam priuatim ab eo examinando et repetendo exercitatus est: quae beneficia hanc apud nostrum vim habent, vt eum tamquam alterum parentem colat. Anno superiore primam lauream Medicinae accepit: nuper autem, decretos illi ab Ordine meo honores philosophicos, tabulae valuis publicis affixa prodidit.

In vico Fribergae vicino, cuius nomen adscripsimus, sacris faciundis praefectus erat pater huius, Iohannes Dauid, cum hunc filium susciperet A. XXXVIII. ex Dorothea Elisabetha Güntheria, vxore. Litterarum rudimenta patris sub ductu posuit ita, vt neque Patrono suo, illustri Carouicio, tum cubiculario regio, neque Afranei Misnensis doctoribus indignus videretur, quem anno LII. alumnorum numero adscriberent, rector Vlischio. Hoc in lyceo linguarum potissimum cognitioni intentus, Gallicam et Italicam celeriter arripuit, et mox docuit alios; attigit etiam mathesin, et ad carmina pangenda quasi stimulis inuitatus est: praeceptores autem, qui sibi eo in loco contigerint, laudat imprimis Klimmum, Kleemannum, Hoerium. Lipsiam petiit A. LVIII. census inter nostros me rectore. Hic, prioribus sex mensibus datum ei fuit Bachium audire, quem eodem anno Academia acerbo funere elatum vidit. Interfuit deinceps Richteri praelectionibus in Institutiones, et Crusii atque Winkleri philosophicis. Mathesin, quae pura dicitur, recoluit apud Funkium A. M. altiore vero mathematicum scientiam, beneficio Rabii, mercatoris, cuius innumera praedicat in familiam suam merita, praecunte Bortzio assecutus est. In hoc cursu subito turbatus est graui sex mensium morbo, quo tandem profligato, acriore cura intermissa studia resumit, Bis igitur Zollero, Digesta et Ius Canonicum; Sammetio Institutiones, Historiam Iuris, alia, enarranti; Breuningio tradenti Iuris Canonici historiam, Ius ecclesiasticum vniuersale, et Logicam ad Iuris vsus translata; denique Hommelio mores maiorum referenti, adsedit, ipseque continuo hoc egit, vt philosophiam practicam cum Iurisprudencia coniungeret. Humaniorum litterarum gustum atque sensum Ernestio debet et Gellerto, cuius etiam ope factum est, vt illustriss. Comiti a Scheel, quem laeta nunc in ciuibus suis spectat Academia, commendatus, exoptatam nancisceretur occasionem Iuris romani repetendi, feudalis autem et publici S. R. I. Frankio et Schumanno magistris addiscendi; sed etiam vitae commodis, multisque aliis beneficiis augetur. Ita exacti quinquennii hunc fructum cepit, vt inter honorum nostrorum Candidatos reponeretur.

FRANCISCVS GOTTHOLD HARTWIG

GROSHARTMANSDORFIO MISNICVS.

Hic superioris frater germanus communem lucem primum vidit anno Seculi XLI. primisque doctrinae elementis et ipse a patre imbutus est. Academiae nostrae postquam anno LVIII. adscriptus fuit me rectore, sectatus est scholas philosophicas Winkleri, mathematicas Bortzii, rhetoricas Ernestii et Gellerti, theologicas rursus Ernestii et Koernerii. Iam ad suos redierat, cum beneficio Pohlii nostri, Professoris Medici bene merentis, huc reuocaretur: a quo et filiorum erudiendorum cura ipsi demandata est, et multa singularis beneuolentiae exempla edita, quorum memoriam negat se vumquam depositurum esse.

GODOFREDVS TRAVGOTT KOSCH

LAUBA LVSATVS.

Natus Laubae anno aetatis nostrae XXXIX. patre Christiano, coriario, matre Anna Dorothea Iaenichia. Ab his parentibus nullam fidelissimae curae in liberis collocandae partem erga se praetermissam fuisse praedicat; cumque pater praematura morte occumberet, illius animum matrem sibi reddidisse. Huius ope subleuatus annos duodecim, meruit in schola patria, cuius doctores, quos audiuerit, omnes sane, sed praecipue Seidelium et Bauerum AA. MM. atque rectores, vt altores ingenii sui, laudibus cumulat. Lipsiam contendit anno LIX. adscriptus nostris rectore Winklero, quem ipsum philosophiam interpretantem, et rerum naturalium recessus experimentis illustrantem, audiuit. In primariis Theologiae capitibus addiscendis, ab ore Crusii, Bahrtdii, et Ernestii, pendendum sibi iudicauit; exegeticas, philologicas, et historicas institutiones, iterum ab Ernestio petiit; exercitationes oratorias habuit apud Gotschedium; Mathesin Heinso et Rudolpho; historiam rerum Germanicarum Boehmio; morum doctrinam Gellerto debet. Tentauit etiam paratae scientiae facultatem oppugando et defendendo sententias probabiles, propositas ab Ernestio A. M. Quae omnia cum feliciter cesserint, laetum se memoriam, ait, et merita praeceptorum recolere.

IOHAN-

IOHANNES TRAVGOTT MANGELSDORF

DRESDENSIS.

Natus est in vrbe primaria, quae nunc omnia vota ad reditum clementissimi Augusti nostri conuertit, anno huius aetatis XL. patre Sartore, matre e gente Kohlschütteria, cui, cum pater praematura morte abreptus fuisset, tantum debet, quantum fidelissimae suiue amantissimae matri debere filius potest. Domesticum praeceptorem habuit Tittelium; sed ab anno LI. in Cruciano Dresdensi, Meisneri, Gebaueri, Koeleri, ad extremum etiam Kretschmari institutione profecit, quorum omnium laudat in se formando dexteritatem et fidem. Cum anno LIX. in hanc urbem venisset, ciuitate academica donatus est a Winklero rectore, praesidia autem vitae et studiorum ex indulgentia Maecenatum, illustrissimorum Comitum Loosii et Rexii, accepit. A Philosophia auspiciatus, in omni eius ambitu peragrandu ducem elegit Crusium, in mathesi Heinsium et Rudolphum, in hebraicis Tellerum, nunc Theologum Helmstadiensem, et Rehkopsium. In Logico practicis exercitus est a Crusio atque Seidlicio. Graecarum et latinarum litterarum scientiam petiit ab Ernestio, eidemque adfuit in historia catholica et ecclesiastica; huius autem secula recentiora enarrantem audiuit Schroeckium Professore. Doctrinam morum, et alia, in Gellerti scholis percepit. In dogmatibus sanctioris doctrinae intelligendis, in arte libros diuinos interpretandi, aliisque in partibus Theologiae, pependit ab ore Crusii et Ernestii; et huius quidem eximiam erga se beneuolentiam praedicat. Parem Boehmio pro meritis in se gratiam habet. Multis etiam se nominibus obstrictum agnoscit urbis patriae Senatui, inprimis Büttnero, Langbeinio, Richtero, viris senatoriis. Denique Ernestii atque Koernerii benignae voluntati et commendationi tribuit bona omnia, quibus hoc tempore in domo Braueri, mercatoris nuper defuncti, adhibitus regendis erudiendisque filiis eius, adficitur. Neque dubium est, hanc ei prouinciam, propter ingenii morumque cultum non contemnendum, traditam fuisse.

IOHANNES FRIDERICVS WOLF

LIPSIENSIS.

Natus in hac vrbe anno huius aetatis XXXVIII. patre Iohanne Samuele, qui futuriam exercet, matre Anna Regina Zenkevicia, quam tamen maturius amisit, duodecimo aetatis anno Thomanam in Scholam

Scholam deductus est, in qua dum per quadriennium lectionibus Breuningii, Irmlieri, Mathesii, Krigelii, interfuisset, contigit ei communi cum illis beneficio frui, qui publicis sumtibus in hoc ludo aluntur. Deinde sexennium integrum institutioni Fischeri, Ernestii, postremum etiam Leisneri, se tradidit, ex eaque tantum se utilitatis cepisse ait, ut verba quibus hanc efferat reperire non possit. Anno LX. facto in Vniuersitatem hanc litterariam transitu, rectore Hundertmarkio, continuo ad Philosophiam et Mathesin, illam Winklero, hanc Bortzio duce discendam, animum appulit. Graecarum latinarumque litterarum scientiam lectione priuata firmavit: in hebraicis autem doctores secutus est Thalemannum, Tellerum, nunc Helmstadiensem Theologum, et Fischerum. Boehmiiu[m] historiam Imperii Germanici tradentem audiuit. Reliquorum omnium, quibus Theologiae studium absoluitur, ut interpretationis Scripturae sacrae, rationis dogmatum explicandorum et defendendorum, historiae ut vniuersae, ita ecclesiasticae, praeceptorum interpretandi, cet. peritiam, si quam comparauerit, eam omnem se debere fatetur Ernestio, cui ea propter grati animi sensum perpetuum spondet. Addit, scholas Ernestii minoris, ad exercitationes disserendi scribendique apertas, plurimum sibi profuisse, cuius etiam humanitas, et erga se beneuolentia, multis modis sui declarandi locum quaesuerit.

CONRADVS SAMVEL SCHERNACK
MALITSCHKENDORFIO MISNICVS.

Hic lucem vidit anno Seculi XL. patre Iohanne Friderico A. M. et sacrorum in vico supra scripto ministro, viro humaniorum litterarum scientia, sed etiam iis ingenii animique laudibus spectabili, quae cum muneris quod gerit sanctitate inprimis coniungendae sunt; matre Maria Sophia Günzelia. Primam institutionem patri debet: postea in Scholam prouincialem Grimmensem missus, eruditus est ad optimas artes a Siboldo, Opitio, Krebsio, Schwartzio, et Richtero: laudat autem cum omnes, tum maxime trium posteriorum erga se amorem et merita. Inter nostros scriptus est anno LX. rectore Boehmio. Mihi commendatus merito suo, statim carus esse coepit, estque tum dialecticis praeceptis a me imbutus. Reliquas Philosophiae partes Winklero propinante imbibit. Hinc accessit ad Ernestium, neque solum Plinii Panegyricum et Demosthenis orationem de corona explicantem, sed etiam dogmaticas, hermeneuticas, symbolicas, et historicas habentem

C

lectio-

XVIII

lectiones secutus est. Hebraica didicit a Fischerō; disputatoriis velitationibus adfuefactus est moderante pugnam Seidlicio. Sed in hac vniuersa doctrinae palaeſtra percurrenda, inque temperandis virtute et proferendis moribus, ita verſatus est, vt facile in eo erectum ingenium, discendi cupiditatem praeclaram, et diligentiae pariter atque pietatis vim non exitem agnoſcerem. Itaque ad amandum in dies magis, et quibus rebus possem iuuandum, sponte adductus sum. Anno autem superiore in domum meam receptus, et institutioni liberorum meorum admotus, summam mihi assiduitatem probauit et fidem. Idem vero, grata mente profecutus Heinsii, Mathem. Prof. apud nos clarissimi, beneficam erga se voluntatem, ostendit, studia in illum aliorum nequaquam in immemorem conferri.

FRIDERICVS GOTTHELF HENTSCH

BVDISSA LVSATVS.

Edidit hunc Budissa, superioris Lusatae caput, Anno Seculi XLII. patre Iohanne Iacobo, matre Catharina Dorothea Greiffenhahnia. Horum prouida cura commissus est praeceptoribus primum domesticis, quos inter plurimum extollit Fellerum, Catechetam in vrbe Loebauia. Anno autem LVIII. in numerum alumnorum gymnasii patrii adscitus est a Iahnio, Conrectore, quem postea vita functum solemnī oratione laudauit; ibidemque Rostio, Weisio, et Hetscholdo, insigni, vt praedicat, commodo suo, operam dedit. Inde ad hoc bonarum litterarum emporium venit anno LXI. professus nomen apud Plazium, eo tempore rectorum. Philosophiae cognoscendae viam ingressus est duce Winklero, apud quem etiam scribendi et disputandi exercitiis indulſit. Mathesin a Bortzio edoctus est. In theologica disciplina sectatus est auctorem et magistrum Ernestium, vt in capitibus et controuersis fidei, in litteris sacris interpretandis, et in historia sacrorum. Hebraicae linguae quam notitiam adsecutus est, ait se Thalemanno, Seidlicio, Krügero debere. Cui de studiis suis narrationi adiungit grati in praeceptores animi professionem.



Philos. C. 201, 16.